Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1255
Quelle:
Copyright:

DLX.

R. 1128 Codex membraneus lat. Sec. partim XIII. partim XII. Folior. 271. 4. maj. cum per duas columnas, tum lineis longis, maximam partem, quamvis non ab una manu, eleganter exaratus, rubricis distinctus, et quondam Collegii *Viennens.* S. J. e variis membranis consarcinatus est, quorum contenta indicabo. I. *Incipit tractatus de articulis fidei et ecclesie sacramentis editus a fratre*, adde *Thoma de Aquino*, pro quo Rubricatori spatium defuit. Relatus jam et hoc et superiori *Vol.* quod vide P. II. *col.* 2435. incipit: *Postulat a me uestra dilectio ut de articulis fidei* &c. finit vero: *Sit honorabile connubium et thorus immaculatus.* Itaque abest, quod in edit. *Rom.* 1570. T. XVII. *fol.* 64. f. de *septem gloriae dotibus* adtexitur.

II. *fol.* 6. *Exposicio symboli secundum fratrem thomam.* Ejus initium: *Credo in unum deum patrem omnipotentem &c. Primum est necessarium christiano cuilibet fides, sine qua nullus* &c. Est editionis mox *cit. fol. eod. Opusculum Sextum*, quod hic in Codice deficit ante finem in verbis: *Exaggeratur autem pena eorum Primo ex separacione dei* — —.

III. *fol.* 17. p. 2. praeeunte Praefatione: *Hec est pars libri numeri cum glosa.* Reipsa tantum usque ad C. XI. v. 29. Loca PP. quae Praefationem conficiunt, non ita sunt ordinata, ut hodie in *Bibliis glossatis* v. g. *Lugduni* 1545. f. habentur. Hoc Sec. XII.

IV. *fol.* 45. p. 2. continuo manu Sec. XIII. adscriptus est *Catalogus* Pontificum Rom. a D. *Petro* ad *Gregorium* II. qui incipit: *Petrus apostolus tenens sacerdotalem kathedram in anthiochia annis VII. et mens. uenit romam ibique XXV. annis et mensibus VII. diebusque VIII. pontificatum tenuit.* Ita per singulos censentur anni, menses et dies regni additis etiam diebus interregnorum. *Clemens* medius ponitur inter *Cletum* et *Anacletum. Anicetus* praeponitur *Pio. Hormisdas* omissus, et *Honorius*, nescio cur, solus minio scriptus est. Chronologiam Pontificum mire variare notum est. In P. *Richardi* O. P. *Dictionnaire Univ. des Sciences eccl.* T. IV. p. 799. tres praecipuae computandi rationes *Blanchiniana*, *Pagiana* et quae est Autorum *de l' Art de verifier les Dates* &c. opportune conjunctae sunt.

V. *fol.* 47. ab elegante manu Sec. XII. succedit *Evangelium S. Matthaei*, et quidem Glossis ex *ordinaria* et *interlineari* selectis stipatum.

VI. *fol.* 106. brevis Dissertatio de Christi resurgentis Adparitionibus, quae incipit: *Prima sabbati diluculo, sicut omnes conueniunt, uentum est ad monumentum. Jam factum erat, quod solus matheus ait, de terre motu, et reuoluto lapide et territis custodibus* &c. 2) Alia Dissertatio hujus argumenti: *Questio sepe uentilata est, qua iusticia anime puerorum, qui ante baptismum moriuntur, damnentur. Corpus quidem, cuius seminarium*

fuit